

FRACASTORO (Girolamo)

JOSEPH (1255 vers)

Le texte ci-dessous a été établi à partir de celui publié, avec d'autres oeuvres de l'auteur, par Giuseppe Comino, à Padoue, en 1739.

LIBER I

J_1 v.1 Quae veterum heroum, divae , facta inclyta, Musae,
 2 et monumenta aevi longis obscura tenebris
 3 illustrare novis numeris, et carmine sacro
 4 ferre per aetates omnes, perque ora nepotum
 5 gaudetis, famamque virum proferre sub auras,
 6 nunc, o nunc populi illius quem maximus unum
 7 delegit Deus, et generis longo ordine ducti
 8 principe ab Abramo, veteres evolvite fastos ;
 9 et juvenem cantate pium, quem magnus Iacob
 10 Isacides genuit : dederat cui nosse futura
 11 per somnos monstrata Deus. Vos dicite, quanta
 12 ille tulit, Phariis tandem dum victor in oris
 13 imperium gereret magnum, populumque beatum
 14 conderet, unde salus hominum, spes unde futura
 15 vitae erat, et clausi reserandum limen Olympi.
 16 Nec minus, Italiae juvenis decus (omnia quando,
 17 quae canimur, tua, Farnesi, sunt maxima jussa)
 18 ipse ades : et, plenum scopulis dum currimus aequor,
 19 da faciles in vela auras, da numine dextro
 20 (namque deus mihi semper eris) tua grandia vota
 21 posse sequi, pelagique omnes superare labores.
 22 En, primas sulcantem undas me litora Jopes,
 23 me juga Samariae, nemorosaque pascua Sichen,
 24 Jordanisque vocat : curvis en vallibus Hebron
 25 applaudit, caeloque simul tua nomina tollit,
 26 responsatque Tabor voces, et sidera pulsat.
 27 Noverat infernus Pluton, cui multa futuri est
 28 scire datum, in satis Abrami e sanguine sacram
 29 progeniem terris promitti, Tartara per quam
 30 evertenda forent. Metuenti talia pastor
 31 rexque idem Sichenus erat suspectus Iacob,
 32 invisusque nimis : tum quod nec sanctius alter
 33 justitiam legemque Dei servaret, et aris
 34 tura daret : tum quod bissenae prole beatus
 35 natorum, populum in sanctum concregere solus

36 posse videbatur. Quare hanc intentus in unam
37 progeniem, dabat omnem operam, quo perdere posset
38 praecipue insignem puerum, cui sidera fausta
39 nascenti, et late felix arriserat aether.
40 Quem forma egregium Charites studia inter alebant
41 ingenua, et leges patrias rectumque docebant.
42 Illi autem mens alta inerat divina futuri
43 nescio quae, atque animum summi admirator Olympi,
44 et pia religio, et puero prudentia major.
45 Ergo et ob has dotes, et quod per vota parenti
46 longaevo hic fuerat Rachele e conjuge cara
47 natus, erat patri ante alios dilectus Ioseph.
48 Ex his non parvam invidiam, tacitumque serebat
49 fratribus in reliquis odium, et letale venenum
50 Alecto, Eumenidum una, imis emissa tenebris
51 in genus invisum, totis quae adnixa colubris
52 dissidium, furiasque ferat bellumque necemque.
53 Nec tantis non ipsa malis fortuna fovendis
54 affuit, augendisque odiis. Nam forte per aestum
55 cum fraterna cohors pecudes ad pabula nota
56 lanigeras una silvas duxisset in altas,
57 iliceaque umbra residerent, primus Ioseph
58 in fratres conversus ait : " Mea somnia, fratres,
59 audite, illa quidem mira, et, nisi me mea fallunt
60 auguria, haud vani speciem referentia somni.
61 Namque, sub Auroram cum sese sidera condunt
62 casura jam nocte, et solus nuntiat ortum
63 Lucifer, ipse meas spicas offerre videbar
64 sacras ante aras, pariter vos ponere vestras.
65 Sed nostri caelum fasces se tollere in altum,
66 et rutilam insignes late diffundere lucem ;
67 vestri autem obscuri, atque humiles summittere sese,
68 utpote adorantes nostros." Cui grandior annis,
69 atque odio in puerum non parvo accensus Iudas :
70 "Vane puer, quid mira vocas tua somnia ? Numquid
71 illa aliquis tibi sorte deus demisit ab alto ?
72 Credo equidem, nam vina deum dicuntur habere,
73 qui miranda facit nobis oblata videri.
74 Augurium quodnam somno tibi fingis ab isto ?
75 Num forsitan rex noster eris ? Tibi sume coronam
76 e lauro, noceant regi ne vina futuro."
77 Talia dicenti fratrum quoque cetera turba
78 acclamant, dominumque vocant, regemque salutant,
79 ac puero illudunt : tum patri haec somnia narrant.
80 At senior, cui non aberat Deus, omnia mente
81 evolvit tacita, atque in nato grande futurum
82 nescio quid spectans, aliis tamen omnia natis
83 dissimulat, puerumque monet non ludere somnos.
84 Ille autem, cui fata Deus majora parabat,
85 post paulo in somnis aliud quid pondere majus
86 perspexit. Nam se sublimi in sede locatum,
87 sub pedibus Solem ac Lunam stellasque minores
88 undique adorantes divinos reddere honores.
89 Ergo horum interpres, (talem nam Numina mentem
90 indiderant) rursus fraternas omnia ad aures
91 detulit. Illi autem subito nova somnia fratris,

92 et spes illicitas regnandi , animumque superbum
93 exposuere patri, atque offensae signa dedere,
94 internique odii, atque accensae in pectore flammae.
95 Obstupuit primum genitor, puerumque vocatum
96 his, velut interpretis somni, duro increpat ore :
97 "Tene igitur pater ac mater fratresque, ait, et plebs
98 omnis adorabit ? Tu sede locabere in alta,
99 nos infra viles humilesque precabimur ? Ah te
100 si malus hic error tenet, et spes impia nutrit,
101 pone animum hunc, atque his falsis et inanibus umbris
102 deme fidem, teque his fallacibus eripe monstris :
103 quae Dii, si mala sunt et iniqua, immittere nobis
104 non sive boni, at potius mala numina, manes
105 Inferni exitium in nostrum ludibria fingunt.
106 Sic falsa ex adytis referunt oracula, sic et
107 auguria ex avibus, dissectis omina ab extis.
108 Omnia quae directa Deo lex nostra profanat.
109 Vade age, et haec nobis posthac ne somnia perfer."
110 Sic ait, et natos alios per dulcia mulcens
111 dicta pater, jubet in Sichen, saltusque virentes
112 ducere molle pecus, puerum consistere Joseph
113 se penes. Expediunt juvenes mandata paterna,
114 felicesque Hebron valles, et amoena vireta
115 invisunt ; sed non virides in vallibus herbae,
116 non umbrae nemorum, non gratae e collibus aerae,
117 non volucrum cantus inimica insomnia possunt
118 ex animis delere : eadem per singula versant,
119 exacuuntque odia, atque irae laxantur habenae.
120 Nec non Alecto diris serpentibus instans
121 corda urit, tantumque odii, tantum excitat ignis,
122 ut jam immane nefas animis meditentur iniquis
123 perdendi puerum, et sese in scelus omne parandi.
124 Ergo, dum juvenes exercent talia, jam Sol
125 condiderat geminos ortus, cum luce sequente
126 castra movere parant, Dothainque in pascua laeta
127 ducere oves, quo plus patriis ab ovilibus absint,
128 invisoque a fratre, pater quem diligat unum,
129 quem sibi, quem reliquis regem haud detrectet habere.
130 Ergo aliam atque aliam solito plus forte morati
131 cum traherent cum nocte diem, miratus abesse
132 hos tantum genitor, confestim accersit Ioseph :
133 "Ique, ait, o mihi care puer, fratresque require
134 in Sichen, patrique refer, quae causa morandi :
135 nam timeo, ne quid male faustum evenerit illis,
136 aut pecori. "Ille viam, nulla est mora, corripit, et jam
137 advolat in Sichen ; sed fratribus et grege nusquam
138 compertis, quid agat, dubius huc spectat et illuc,
139 omnia collustrans oculis ; modo nomine fratres
140 magna voce vocat ; tantum nemora alta vocanti
141 respondent, vallesque cavae. Forte ilicis altae
142 frondator ramorum aderat, qui, ut vidit anhelum
143 ancipitemque sui puerum, noto obvisus illi,
144 "Quid quaeris, puer ?" inquit "Oves si forte paternas,
145 si fratres, ne quaere istis in vallibus illos,
146 quandoquidem audivi dicentes, saltibus ex his
147 in Dothain cedamus : ibi fratresque pecusque

148 invenies." Dein monstrat iter, qua tramite recto
 149 ocius inveniatur laetissima pabula ; namque
 150 plurima pars exusta aere, nec gramina nutrit.
 151 Ille datum festinat iter ; jamque ultima Sichen
 152 emensus, Dothain laetus propiora tenebat,
 153 cum specula longe venientem vidit ab alta
 154 plena odii fraterna cohors, ac protinus : "En rex
 155 noster, ait, quem Sol, quem Luna, et sidera adorant
 156 nos famuli viles ad pastoralia nati,
 157 per deserta die rabido fub Sole vagamur :
 158 nocte in speluncis, patulave sub arbore somnos
 159 captamus, tecti rude lana et pellibus hirtis,
 160 despecti, et vili polenta, et flumine pasti.
 161 Ille patris mensa virgata in veste recumbens
 162 lactibus haedorum, et lumbo pinguescit ovili,
 163 repleturque mero : tum stertens impia nobis
 164 somniat. Huncne igitur, fratres, atque ista feremus
 165 opprobria ? Anne adeo caeci exspectabimus, ut jam
 166 grandior, atque animis fidens et patris amore
 167 nos premat, et ditionem omnem, et benedicta paterna
 168 surripiat, sic vera nimis sua somnia reddens ?
 169 (Heu fratrum ignarae mentes, et pectora caeca !)
 170 Cur potius, dum testis abest, dumque omnia nobis
 171 dant animos, non hunc capimus ? Cur protinus istis
 172 confossum gladiis, puteo non condimus illo
 173 qui prope contegitur dumis et sentibus atris ?
 174 Dicemusque fame rabidis ursove, lupove,
 175 qui multi deserta habitant haec, dente peremptum."
 176 Talia jactabant inter sese effera fratres
 177 consilia. At, cunctis aderat qui major et annis,
 178 et major pietate Ruben : "Dii talia nobis
 179 avertant, ait ; ah vestras ne sanguine, fratres,
 180 fraterno maculate manus, neve ira Deorum
 181 hoc velit, ut scelus ob tantum nos, et domus, et grex
 182 una omnes pereamus. Abest si testis, at ipse
 183 est testis Deus : ipse Deus, quem nulla latere
 184 facta queunt, quique hic et nos nunc spectat, et audit.
 185 Si tamen est animus vobis secludere prorsus
 186 hunc puerum, sine caede ejus, sine sanguine in illum
 187 trudite vicinum puteum, et dimittite fatis."
 188 Haec vero suadebat, uti jam caede remota
 189 mox ipse ad puteum sera jam nocte rediret,
 190 extraheretque illum, et misero sua pignora patri
 191 redderet, ac fratrum tandem componeret iras.
 192 Verba omnes movere. Placet sine caede prehensum
 193 projicere in puteum, et miserum dimittere sorti.
 194 Tum Ruben : "A vobis fuerint quaecumque peracta,
 195 horum me insontem videat Deus". Ac procul inde
 196 discessit, silvisque latens se condidit altis,
 197 visurus rerum eventum. Et jam laetus Ioseph
 198 festinans aderat : contra fratrum impia turba
 199 circumfusa ruit minitans, manibusque revinctis
 200 "Nunc, inquit, tua vana tibi quid somnia prosint,
 201 aspicias : numquid regi parebimus omnes ? "
 202 Ille pavens, stupidusque rei novitate precari,
 203 talia ne insonti facerent, Superosque vocare ;

204 nequidquam : quando impatiens magis et magis urget
205 crescens corde furor, facibus furialis Erinnys
206 instat atrox, daemonque malus, qui obsistere fati
207 posse putans, cunctorum aciem vertebat in unum.
208 At puer , ut nullis precibus, nullisve moveri
209 fratrum corda videt lacrimis, sed jam impete multo
210 compelli in foveam, quod restat, lumina tollens
211 in caelum, tales fundebat ad aethera questus :
212 "Dii Abrahae, Dii magni Isac, Dii patris Iacob,
213 vos ego si sancte colui, si jussa paterna
214 semper obii, semperque pie et sine crimine vixi,
215 aspiciate : et si fata mihi nunc ultima pendent,
216 ut moriar, miserum saltem servate parentem.
217 At vos o, tenere, fratres, quos semper amavi,
218 majoresque habui, curate, haec tristitia ad aures
219 ne patris adveniant ; sed me rapuisse latrones
220 dicite, quo saltem spe se soletur inani
221 viventis nati, Stygias nec tendat ad umbras
222 ante diem : deserta ipse intumulatus arena
223 emoriar." Lacrimae dicenti talia fusae
224 ex oculis cecidere, simul voxque ipsa repressa est.
225 Et jam etiam fratrum sedari pectus, et ira
226 coeperat, Isachar cum : " Ne desistite, fratres,
227 dixit , ab incepto : quin vinctum et fune ligatum
228 in foveam mittamus ; ibi suspensus in imo
229 sistatur fundo, donec meliora parent Dii
230 consilia ; atque cibum interea capiamus in herba,
231 quandoquidem jam Sol invitatur, et altior hora."
232 Assensere omnes dictis, puerumque revinctum
233 ad puteum flentem ducunt : hic fune ligata
234 arboris ad truncum pendentis desuper altae
235 demittunt pavitantem intro, fundoque relinquunt
236 suspensum. Ast ipsi circum per gramina fusi
237 implentur vili cerere , et cariotide pingui.
238 At Deus, aethereo terras qui spectat ab axe,
239 insontem aspiciens, illo et miseratus amore
240 quo mare, quo terras, quo caelum condidit altum,
241 unum ex aligeris, qui circum mille, ministris,
242 exspectant mandata, vocat : "Fidissime, et inquit,
243 vade age, Samariamque, tibi notissima dudum
244 arva pete, et, quem scis fati ad magna vocari
245 Isacidae puerum, qui caeco poscit ab antro
246 auxilium, et fraterna odia, et facta impia plorat,
247 hunc inopem solare : nec est mandare necesse,
248 quae referas, cui nota mea est et aperta voluntas."
249 Sic ait, et nutu placido, quo sidera cursu
250 perpetuo ducit, juvenem dimittit. At ille
251 aetherias humeris accingit tenuibus alas,
252 queis caelum illaesum penetrat, queis nubila tranat,
253 praevertitque fuga Zephyros. Jamque aethera scindens,
254 arios tractus, et inania lata secabat.
255 Qualis, ubi in liquidis stagnis aut ardea longe est,
256 aut albus conspectus olor, sacer accipitrum rex
257 post varios gyros sublimis ab aethere lapsus
258 immotis secat alta ruens oculo ociosius alis ;
259 impete non alio volucer caelestis adibat

260 Samariae terras : primus quem vertice summo
261 excepit Tabor, insuetum frondescere silvas
262 miratus, terramque nova vestirier herba,
263 et varios praeter solitum summittere flores.
264 Excepere illum prognatae monte Napaeae,
265 et divina Deo cecinerunt ; omnia rupes
266 responsant, ipsa antra Deum, silvaeque salutant.
267 At sacer interpres Divorum, ut vertice ab alto
268 lumina deflexit terris, ac gramine fusos
269 vescentesque videt fratres, ast inde camelos
270 mercatorum Arabum spectat, Jovis omnia facta
271 imperio, hinc animum ad miserum convertit Ioseph,
272 descenditque celer : puteique in margine summo
273 ut stetit, extemplo nova lux effulsit in antro,
274 miratum et subitus puerum circumstetit horror.
275 Quem pius interpres placida sub imagine, et ipso
276 ore puer puerum dictis solatur amicis :
277 "Pone metum, Diis care, patrum Deus ille tuorum,
278 qui caelum regit, huc alto me ex aethere mittit,
279 qui reseram mandata tuos solantia luctus.
280 Hinc primum mittere foras, sed venditus auro,
281 nomine mancipii : tum Nili in regna fereris,
282 atque iterum vendere illic, multosque per annos
283 servus eris. Tunc ne vetita atque injusta libido
284 te alliciat, neu dii alieni, et falsa, caveto,
285 numina decipiant. Vestrum si semper habebis
286 corde Deum, ipse aderit semper tibi, te bona semper
287 quicquid ages, quocumque ieris, fortuna sequetur.
288 Quin, magis ut fidas animis, tibi magna parantur
289 imperia : et tempus veniet cum vera videbis
290 somnia visa tibi, cum te fratresque paterque
291 supplice adorabunt fletu : misereberis illis,
292 neve perire fame miseros patieris iniqua ;
293 quin ipsos, natosque illorum, ipsosque nepotes
294 in partem imperii, atque in tua regna vocabis ;
295 ingens ut tandem populus concreseat, arenae
296 instar ; quem Deus Aegypti de parte superba
297 deducet tandem, et pedibus super aequora siccis
298 pertransisse dabit ; mox haec in regna reducet,
299 lacte novo quae regna fluent, et melle perenni.
300 Mox (anni, properate) diem felicia saecla
301 aspicient, saecla illa diem, quam tanta futuram
302 vatam oracla canunt, cum demittatur ab alto
303 magna Dei soboles, vestro de sanguine creta,
304 quae scelus antiquum tollat, quae limina caeli
305 clausa diu, magnique fores praepandat Olympi."
306 Nec plura effatus caelum se tollit in altum.
307 At juvenis, quamquam stupefactus numine tanto,
308 restitit, et rerum confusus imagine multa,
309 laetatur tamen, atque animum per singula versat,
310 speque futurorum praesentem corde dolorem
311 discutit, atque oculos in caelum et sidera tollens
312 sic fatur : "Rex terrarum, Rex aetheris alti
313 Omnipotens, patrum Deus et tutela meorum,
314 respice nos, et nostra tuo sub numine si spes
315 est omnis, super his primum miserere parentis.

316 De me autem quidquid statuet tua recta voluntas,
317 seu laetum, seu triste pares, nihil ipse recuso.
318 Unum oro, si Parca mihi vidisse negabit
319 his oculis felicem illam, semperque beatam,
320 optatamque diem, qua tandem ex aethere summo
321 descendet tua progenies, da cernere saltem
322 in speculo, atque umbram monstra mihi, speque fideque
323 noscere da, puroque ejus de fonte lavari."
324 Dixit, et ex imo traxit suspiria corde.
325 Interea e Madian, stacten, bdelamque ferentes,
326 cinnamaque, et liquidam styracen, et pingua tura
327 transibant Arabes, qua stabant gramine laeto
328 vescentes juvenes simul, et diversa loquentes.
329 "Qui ut primum videre viros, Deus, inquit Iudas,
330 o fratres, meliora parat, quam nostra ferebant
331 consilia : his etenim si mercatoribus ipsum
332 vendamus puerum, cum lucro, auroque piati
333 fraterna a morte immunes reddemur, et ad nos
334 posthac nec fama adveniet, nec nomen Ioseph ;
335 sive Arabes isti Aegyptum, seu barbara regna,
336 Marmaricam, Libyamve petant. Ergo unus ad illos
337 mittatur, qui mancipii sub nomine, merce
338 proposita pretium statuatur, responsa reportet."
339 Dicta placent ; qui pacta ineat, jam mittitur ; ipsi
340 interea speluncam adeunt, funemque ligatum
341 arboris ad truncum solvunt, et in aethera sursum
342 suspensum educunt puerum ; qui talis in auras,
343 qualis mane rosa, aut riguo narcissus in horto,
344 prodiit, et formae servato vera decore
345 signa dedit, certumque Dei praesentis amorem.
346 Jamque aderat mercator Arabs, et nuntius una
347 vile satis pacti pretium. Proh Juppiter ! Ille
348 quem tanta in fati promissa, et tanta manebant
349 imperia, argenti bis deno venditur asse,
350 mancipium infelix. Jam curvo terga camelo
351 excipitur, Nili ignotas jam fertur in oras.
352 At quadrupes, ceu divino sub pondere, vector
353 insolitos dedit hinnitus, et signa recentis
354 laetitiae ; jamque et grato facilisque, levisque
355 sessori tergum, sellamque accommodat aptam,
356 agglomeransque pedes, retro socia agmina linquit.
357 At fratres, puer ut cessit, mala nuntia patri
358 quis ferat, et quo infanda tegant facta impia pacto,
359 ambigui, tandem statuunt praemittere vestem
360 a puero ereptam, caprino sanguine tinctam
361 qui ferat, inventamque inter nemora avia dicat ;
362 dansque placet commissa dari : qui instructus abunde
363 omnia, longaevum non haec miseranda parentem
364 exspectantem adit, et monstrato sanguine, et ipsa
365 veste, ait : "Hanc nostrae nemora inter devia primae
366 invenere canes ; cujus sit vestis, et unde
367 hic cruor, ignari, patrem primum esse monendum
368 duximus, ut te (si quid agendum est) consule agatur."
369 At pater, ut notam, maculisque et sanguine vestem
370 conspersam vidit : "Quis te, carissime Joseph,
371 quis divum, ut tecum morerer, spes una senectae,

372 nate, meae, quis casus, ait, tam durus ademit ?
373 Heu mala te silvae fera sustulit. Ite per alta
374 vos nemora, et, si quid misero de corpore restat,
375 omne afferte mihi, saltem ut suprema sepulcri
376 dona feram ; vel et ipse, feris laniandus, in altas
377 proripiar silvas : dabitur natoque patrique
378 mors eadem." Haec dicens, foedatos pulvere canos
379 vellebat, lacerosque sinu exscindebat amictus.
380 Et famuli tandem collapsum in tecta reportant.
381 Parte alia Ruben, ut serum se vesper in orbem
382 intulit, ad caulas pecudes pecudumque magistri
383 cum redeunt, saltusque vacant pastoribus omnes,
384 desertum ad puteum solus redit, atque ibi Joseph
385 terque quaterque vocat. Non respondente vocanti
386 ullo, sollicitus, puerum ne forte necassent,
387 rem spectare parat, caesaque ex ilice conto
388 scalam aptat, solersque imum se mittit in antrum,
389 omnia collustrans. Verum, postquam omnia dudum
390 rimatus, puerum quaesitum haud repperit usquam,
391 ambiguus tandem reliquos perquirere fratres
392 destinat, ac pecoris vestigia nota secutus
393 per noctem, demum inventos, de fratre quid actum est,
394 inter multa rogat. Rem totam ex ordine pandunt.
395 At Ruben, ut puerum audivit superesse, nec ullis
396 affectum damnis : "Hinc, fratres, inquit, eamus
397 ad miserum genitorem, et spe viventis et auras
398 spirantis gnati saltem (quod nunc datur unum)
399 solemur, rapuisse Arabes de more, relicta
400 veste, levi pueri fugientis vulnere tincta ;
401 pastores ita ferre". Aliquemque adducere testem
402 expediet ; neque enim deerunt qui dicere possint
403 se vidisse Arabes. His ergo rite paratis
404 patrem adeunt, et quae possunt, solacia jungunt.
405 Ille autem, quamvis aliqua spe forte levatur,
406 non tamen aeternas lacrimas planctusque perennes
407 comprimere, aut tristi meditari gaudia mente
408 ulla potest ; sed vitam aegram noctesque diesque
409 in tenebris, hominum fugiens consortia, ducit.
410 Interea puerum laetus deportat Ioseph
411 mercator, plenis miratus cedere votis
412 omnia. Non illis terrae exarsere diebus,
413 non ventis agitatae ullae tolluntur arenae
414 ex solito : puerum Charites comitantur euntem,
415 et Caeli favor, et faustis Spes dextera pennis.
416 Jamque pererratis Judaeae finibus, altae
417 incipiunt turres et moenia Osiridis urbis
418 apparere procul, campis ubi fusa juvenus
419 munera militiae exercent : hi vincere cursu
420 contendunt pedibus : hi fulvo in pulvere sudant
421 luctantes, alii duro sub pondere cestus,
422 pars volucres exercet equos, cursuque fatigat,
423 aut inferre hosti versas post terga sagittas
424 discit equo currente, aut hastam tollere campo.
425 Ergo Arabes postquam accessere, et pulcher Ioseph,
426 mirati pugnas, placidi et praeludia Martis,
427 consistunt, oculisque intenti et pectore toto

428 vix satis expleri possunt. Quos sorte magister
429 militiae, eunuchus regis, cui summa potestas
430 et duri data erant Mavortia munera belli,
431 ut vidit, confestim ad sese accedere jussos
432 compellat : " Geritisne ullas, quas vendere, merces,
433 optetis ?" "Quaedam, dixere, et aromata, et istum
434 gestamus puerum, domino qui si placet, ultro
435 munus habe ; aut emptum si mavis, pro indole tanta
436 da quodvis : pretium est magnum tua gratia nobis."
437 Ille autem : "Haud umquam ingratum, mercator, habebis
438 Fetifarum. Accipiam puerum ; at tu munere largo,
439 speque tua majore, mihi donabere multo."
440 His dictis recipit puerum, quem veste decora
441 induit, et sagulum donat, quo purpura limbo
442 fulva nitet ; tum donat equum. Laetissimus ille
443 altior it juvenes inter pulcherrimus omnes.
444 Quem custode dato laetus praemittit ad urbem
445 Fetifar, et carae uxori commendat habendum.
446 Interea seras invexerat Hesperus horas,
447 et juvenum campis cedens manus omnis apertis
448 ibat ovans comitata ducem, ac jam pulcher Ioseph
449 ut dominam invisit, thalami et cognovit herilis
450 officia, ipse humilis servorum se agmine miscens
451 obvius it domino. Media se qualis arena
452 monstrat gemma nitens, radiisve micantibus aurum,
453 talis et ipse puer multis in millibus ibat.
454 Quem matres, populusque omnis mirantur, ut ipso
455 incessu, gravis ore, pedes non dimovet usquam
456 a duce, non oculos, sed semper totus in illo est.
457 Nec minus, intra aedes ut ventum, epulaeque paratae,
458 ulli ipse officio deest, seu corpore opus sit,
459 seu celeri ingenio. Sed enim super omnia mira est
460 grataque sedulitas, apta et prudentia cana.
461 Quo factum est parvo post tempore, Fetifar illum
462 non thalamo ut tantum ipse suo praefecerit unum,
463 sed domui, et rerum summam commiserit omnem.
464 Scilicet auspiciis et diis cuncta ire secundis
465 Fetifarum sunt visa : agri producere fruges
466 uberius, sobolem armentum, sibi crescere honores.
467 Omnia quae, ostento quodam permotus, Ioseph
468 attribuit puero, vatunisque oracula suadent.
469 Arbor erat Persaea, deo sacrata Camesi,
470 aedibus in mediis, quam vectam e Perside fertur
471 orbe pererrato monumentum insigne futurum
472 ipsa suis manibus plantasse nepotibus Isis.
473 Hanc apis externis veniens insedit ab oris,
474 insignis fulgore et versicoloribus alis
475 pulcher apis : quem mox examen grande secutum
476 pendentem ramo longum traxere racemum.
477 Protinus ostentum ad vates defertur. At ipsi
478 venturum externis aliquem portendere ab oris
479 declarant, ingens populus quem deinde sequatur,
480 ipsum qui fortunae opibus super aethera tollat
481 Fetifarum, largosque simul promittat honores.
482 Ergo his auguriis tantis censetur Ioseph
483 monstrari. Hinc majore illum dignatur honore

484 Fetifar, hinc omnes adamant ; sed maxime Iempsar
 485 pulchra ducis conjux prae cunctis diligit unum,
 486 nescia adhuc quanto jam sit devota furori,
 487 quis deus insideat miseram. Suspiria nondum
 488 emittit, nondum lacrimas : sunt omnia laeta
 489 dulciaque, et nondum quicquam persentit amari.
 490 Quae deus infernas sedes Cocytia regna
 491 qui regit, humani generis turbator, et osor
 492 ut vidit Pluton, semenque accrescere felix
 493 Isacidum , invisam sobolem, vocat ocius unum
 494 servorum, quibus insidiae fraudesque dolique
 495 sunt animo, queis mille artesque viaeque nocendi,
 496 "Ique, ait, et pulchram circum insinuatus Iempsar
 497 falle dolo, et primas escas quas sensit amoris,
 498 tu flabris accende, imis illum ossibus ignem,
 499 illam immitte facem quam nec vis ulla deorum,
 500 non hominum exstinguat : mox ipsum accendere Joseph,
 501 si possis, omni arte stude. Quod vincere si qua
 502 non dabitur, tu perge tamen, pete rursus Iempsar,
 503 acrius ure, furorem adde, inspiraque venenum :
 504 queis monstris agitata domum permisceat omnem,
 505 inque odium, furiasque omnem convertat amorem.
 506 I celer, et nihil ipse doli scelerisque relinque."
 507 Ille hilaris, promptusque malis sumptam e Styge lympham
 508 miscet Acidalio laticis : tum ex anguibus unum
 509 Tisiphones capit, atque sinu mala semina condit.
 510 Fetisari dein tecta petens, nutricis Iempsar
 511 induit Iphicles formam, dominamque salutans :
 512 "Audi, ait, o mihi cara, miser quis casus Ioseph
 513 torquet ad extremum vitae ; vidi ipsa gementem
 514 nuper, et optantem supremae munera vitae.
 515 Quaerenti mihi quae tanti sit causa doloris,
 516 o mater, ne quaere, inquit, nam, sive tacebo,
 517 sive edam, omnino moriar ; praestatque tacendo
 518 et vitam, et nostri causam finire doloris.
 519 Cui ego : Non sic, o fili ; nam vulnera saepe
 520 auxilium patefacta et opem invenere salubrem.
 521 Dic audacter, amasne ? Haec si tibi causa doloris,
 522 spera, et fide, puer ; namque ipsum vel tibi amorem
 523 eripiam magicis, vel tu potiere cupito.
 524 Erubuit ; tum dixit "Amo. Dii sunt mihi testes,
 525 hunc quantum eluctans cepi, quam invitus amorem,
 526 infidum in dominum qui me facit. At mihi sit mors
 527 exoptanda magis. Fidum periisse juvabit."
 528 Sic ait, et fuis lacrimis pulchra ora rigabat.
 529 "Ut video, puer hic dominam te deperit ; at ni
 530 opportune adsis, nimio moriturus amore est."
 531 Cui virgo : "O nutrix, quam dura et tristia portas !
 532 Namque et amo hunc puerum, et vellem succurrere posse ;
 533 sed me jura deum, sed vincla jugalia primum
 534 obsistunt : tum me tanto male sana periclo
 535 objiciam, et duri haud formidem conjugis arma ?"
 536 Et nutrix : " O nata, ipsorum crimina amantum
 537 Dii ridere solent. Solvendi jura mariti
 538 causa potens et justa tibi est depellere mortem
 539 a puero, qui nec crimen commiserit umquam,

540 ni crimen sit amare nimis, vel amore perire.
 541 Audendum est in amore, pericla nec ulla timenda
 542 prudenti : dii deinde ipsos tutantur amantes,
 543 queis amor, et pietas est prima et maxima cura."
 544 "Est mihi aqua, in dubiis rebus quae assumpta videre
 545 vera facit, dubiique omnis pars ultra legenda est.
 546 Hanc dabo, si hac in re ancipiti stat cernere verum.
 547 Ac Stygiam demonstrat aquam, medicataque fonte
 548 pocula Acidalio. Placet, o carissima nutrix,
 549 virgo" inquit ; totumque manu capit ipsa venenum
 550 intrepida, atque uno craterem exhauriit haustu.
 551 His actis puerum Iphicle se vertit ad ipsum,
 552 et gressu ad thalamum illius contendit anili :
 553 qui laudes superum Regi et divina legebat.
 554 Ut vero in thalami mentitus limine daemon
 555 constitit, et puero caelestem assistere Joseph
 556 custodem vidit minitantem, ensemque coruscum
 557 vibrantem, extemplo subita formidine captus
 558 horruit, et retro gressusque animumque reduxit,
 559 aufugitque celer ; nocturnaeque alitis oti
 560 effigiem capit, et tecto se sistit in alto.

LIBER II.

J_2 v.1 At misera ut Stygios latices desumpsit Iempsar
 2 solaque permansit, totis ardere medullis
 3 visa sibi est, tota in subitum convertier ignem ;
 4 suspiransque gemensque, unum deposcit Ioseph.
 5 Et modo se imponit stratis, paulumque morata
 6 assurgit, modo mutat et hunc, modo mutat et illum,
 7 fastiditque locum infelix, nec se capit usquam.
 8 Non secus ac solet ille, acris praecordia causus
 9 cui torret, vel quem dipsas sitibunda momordit.
 10 Tandem ait : "Heu quidnam est quod me tam saeviter urit ?
 11 Estne amor, an sumpti latices ? Nempe est amor iste,
 12 quo moriar, nisi formosus succurrat Ioseph.
 13 Tu mihi nunc succurre, puer ; succurrere namque
 14 ipsa etiam tibi constituo. Moriemur amando
 15 insontes ambo. Dii tanti criminis haud me
 16 auctorem videant, non haec Aegyptia tellus.
 17 Dum licuit, potuique, tori concordia jura
 18 servavi : nunc major agit me visque, deusque,
 19 imperioque premit. Sic sit mihi numen amicum,
 20 ut nosco experiorque deum , cui femina non est
 21 contra stare potens. Deus hic custodiet ambos :

22 quin et, suetus amare, teget solacia nostra."
 23 Dixerat, impatiensque morae vocat ocius Efren,
 24 unam ex ancillis, dominae quae fida solebat
 25 ferre vigil mandata, vigil responsa referre.
 26 "Vade, ait, et puero dic, huc accedat, Ioseph,
 27 si vacat, et domini si nulla negotia nostri
 28 impediunt. Abit illa cita, et mandata facessit."
 29 Nec longe post jussus adest formosus Ioseph.
 30 Quem solum admissum virgo mutata colore
 31 juxta astare facit ; tum corde et voce tremente :
 32 "Care, inquit, puer, atque oculis mihi gratior ipsis,
 33 verane tu dominae dices, quaecumque rogabit ? "
 34 "Vera equidem (an fallam dominos ?), ait ille, fatebor.
 35 Tu quodvis pete." Et illa : "Puer, te perditte amare
 36 audio : si verum est, debent me nulla latere,
 37 nec si ego sim quam perditte amas ; nam (vera fatebor)
 38 ipsa etiam te perditte amo. Tu nec mihi amanti,
 39 nec tibi ego crudelis ero ; da jungere dextram :
 40 qualis eris, quantoque a me donaberis auro ! "
 41 Sic ait, et summis puero dedit oscula labris.
 42 Ille pudore rubens, et secum mente revolvens,
 43 quae divum interpres puero mandaverat olim,
 44 in puteo, neu dii alieni, aut injusta libido
 45 alliceret ; taciteque Deum sibi adesse precatus
 46 haec tandem responsa dedit : " Quod perditte amare
 47 audis me, domina, illicitum si forsan amorem
 48 audis, non ullam fateor me perditte amare ;
 49 nec sic ipse etiam a quoquam peramarier opto,
 50 praecipue a domina. Scis rebus me omnibus unum
 51 praefecisse ducem, seclusa conjuge tantum.
 52 Anne igitur legisque meae, dominique mei sim
 53 proditor ? Ah Stygias potius detrudar ad umbras,
 54 esca vel alitibus media intumulatus arena,
 55 mittar." Et haec dicens dominam, thalamumque reliquit.
 56 Illa autem, ut sese illusam, et spe funditus omni
 57 dejectam vidit, tamquam qui fulminis ictu
 58 percutitur, primum stupefacta immotaque paulum
 59 constitit, inde imo ducens suspiria corde,
 60 astringensque manus, sese resupina cubili
 61 stravit inops animi, desertaque sanguine pallens.
 62 At malus haec summo tecti de culmine daemon
 63 aspiciens, ave deposita, se rursus anilem
 64 vertit in Iphiclen, miseramque revisit Iempsar,
 65 atque ait : "O, quinam casus te, nata, malignus
 66 insequitur ? Quid cor cecidit ? Quid pallor in ore est ?
 67 Ah ne animum assuetum, ne te ipsam desere, nata.
 68 En adsum auxilio nutrix tua : pone timorem.
 69 Respice me." Audito nutricis nomine paulum
 70 erexit sese in cubitum ; tum lumina torquens :
 71 "O nutrix, quondam nutrix, nunc dira noverca,
 72 occidisti, inquit, miseram me ; nec puer ille
 73 perditte amat, nec se (quod longe est pejus) amari
 74 sustinet, aut ullis precibus donisve movetur.
 75 Projeci memet, genus, et decus omne pudore
 76 foedavi amisso, fractae spes, foedera rupi
 77 conjugii. Tu causa mali, tu criminis hujus

78 principium. Quid restat ad haec, nisi cetera ferro
 79 conficere, et meritam hanc animam demittere ad Orcum ? "
 80 Cui dictis falsa Iphicle respondet amaris :
 81 "Heu, mulier rerum ignara, et male conscia amorum,
 82 quid mirum, puer insuetus plenusque pudore,
 83 ceu virgo intacta, ad primos si expavit amoris
 84 aggressus, de te dubius, metuensque pericli ?
 85 Non ita res tractanda fuit. Nec tu tamen omnem
 86 spem depone ; rudem puerum nam rursus adibo,
 87 arguam, et ignarum, quae sint facienda, docebo.
 88 Tu tantum triduo exspecta ; lux quarta benignum
 89 sidus habet, miseros sidus quod spectat amantes
 90 coniungitque. Sub hoc Hymenaeus sidere primum
 91 natus, et ipse puer Venere enitente Cupido."
 92 His dictis sese paulum solatur Iempsar,
 93 erexitque cadentem animum. " Meliora ferant dii,
 94 vade, ait ; interea sacras venerabimur aras,
 95 fundemusque preces, et amica vocabimus astra."
 96 Ergo, ubi luce nova rutilum Sol aureus orbem
 97 implevit, visura deos sese ornat Iempsar,
 98 pulchra auro, spectanda ostro, spectanda pyropo,
 99 sed forma spectanda magis, proprioque decore.
 100 Quam matrum numerosa cohors comitatur euntem,
 101 nec non et famulis praeses formosus Ioseph
 102 lumina dejectus, dominaeque suique misertus
 103 it comes. Ipse tamen sanctas procedere ad aras
 104 patronam putat, ut commissi criminis oret
 105 exposcatque deos veniam, et deponat amorem.
 106 Contra autem illa rogat divosque et sidera cuncta,
 107 ut faveant votis, et sint in amore secundi.
 108 Haec eadem celebrat demens et luce sequenti,
 109 atque alia, donisque etiam majoribus aras
 110 accumulatur, pecudumque fibras rimatur et exta.
 111 Verum, ubi quarta dies rediit, Solque igneus orbi
 112 illuxit : "Lux sancta, inquit, lux optima, salve,
 113 sidera vos, salvete, quibus coniungere amantes
 114 est amor, et sobolem mundo servare perennem."
 115 Tum puerum acciri carum jubet. Ocius ille
 116 nulla timens , et jam dominae securus amorum
 117 advenit. Illa itidem sperans fore prospera cuncta,
 118 nutricis decepta dolis, ut vidit amatum
 119 in manibus puerum : " Meus es, meus, inquit, et ipsa
 120 sum tua. Quid prohibet ne nos jungamur amantes ?
 121 Iste torus communis erit : ne gaudia differ,
 122 neu sortem contemne tuam." Tum pallia captat,
 123 et trahit ad sese puerum. Stupet ille pudorem
 124 in domina amissum, tandemque his vocibus infit :
 125 "Quis furor, aut quaenam mala mens, olim inclyta conjux
 126 Fetisari, nunc haec suadet te talia posse
 127 moliri ? Certe Eumenidum nunc te una sororum
 128 exagitat ; nam (quam reris) non est tua nutrix
 129 Iphicle, sed de Stygiis emissa tenebris
 130 dirarum una, dolis quae te decepit et astu.
 131 Illa eadem me aggressa malis conatibus ausa est,
 132 sed vetuit tentare Deus. Vidi ipse retrorsum
 133 cedentem ; et formam mentitam, et fumida novi

134 sulphura, nidoremque atrum post terga relictum."
 135 Talia dictabat puer. At post ostia daemon
 136 qui stabat, clausos magno conamine postes
 137 impulit, intravitque ferox, et lumine torvus
 138 Tartaream essudit vocem, qua terruit omnes :
 139 "En ego mentita Iphicle, en sum una sororum
 140 Eumenidum , una e Stygiis emissa tenebris ?
 141 Nunc faxo, experiare. Sinuque cita eripit anguem
 142 pestiferum, qui secreta sub veste latebat,
 143 in puerumque jacet. Custos caelestis at illum
 144 reppulit, atque omnes conatus fecit inanes.
 145 At coluber, sibi ut in puerum sublata potestas,
 146 in miseram insidias omnes molitur Iempsar :
 147 perque solum tacite irrepens, ventremque retorquens
 148 lubricus, in vestem insinuans se illabatur ; inde
 149 interiora petens et viscera cuncta pererrans,
 150 Tartareum virus jaculatur ad intima cordis.
 151 His monstris puer interea pavefactus, amictus
 152 immemor aufugit, seque in sua tecta recepit.
 153 Quem virgo ut fugisse videt, utque acre venenum
 154 sensit, in insanum subito conversa furorem,
 155 clamorem immensum tollit, quo ipsa atria, et omnis
 156 intremuit domus, et timuit vicinia tota.
 157 Non secus ac si Vulcanus penetralia cuncta
 158 involvat, caeloque furens incendia jactet.
 159 "Currite io, matres, scelus atque audite nefandum
 160 mancipis Hebraei, qui nunc, proh Juppiter ! ausus
 161 Fetisari est magni sacrum violare cubile,
 162 vimque inferre mihi, nisi nutrix tempore in ipso
 163 prompta tulisset opem, et sceleratum veste relicta
 164 ejecisset. Io fugitivum apprehendite, servi,
 165 ite citi, properate, viarum claudite cuncta
 166 effugia, et domini scelus hoc afferte sub aures."
 167 Talia vociferans misera effundebat Iempsar.
 168 Omnia quae falsa Iphicle confirmat, et auget,
 169 dignum morte fore, hoc sceleris qui admittere tantum
 170 audeat ; exacuitque animos. Clam deinde recedit
 171 nulli visa, et avi similis se immiscuit atris
 172 nubibus, et Stygias sedes atque impia Ditis
 173 regna petit, laetoque refert crudelia facta.
 174 Interea miser a servis comprehensus Ioseph
 175 ducitur, et nemo est qui dicere multa volentem
 176 auscultare velit miserum, non Fetifar ipse,
 177 quem jam res audita acri compleverat ira ;
 178 non tamen ut morti damnet, sed turre sub ima,
 179 carceris esse locus miseris ubi sueverat, illum
 180 intrudi jubet, et vigili custode teneri,
 181 tantum olyra vili, limoso et flumine pasci.
 182 At juveni caelestis erat custodia major
 183 aliger aetherius, summo qui missus ab axe
 184 carceris intraram portas, ubi proxima terras
 185 nox omnes caecis tenebris obduxit et umbra.
 186 Ergo alias puero notus, solatur amico
 187 ore illum, firmatque animum, tollitque timorem
 188 luce nova, excussa noctisque et carceris umbra.
 189 Omnia quae postquam custos Aegyptius alta

190 prospexit de turre : "Deus, Deus, inquit, in illa
 191 luce viget. Nosco splendorem, et verba notavi.
 192 Nec Deus est illic, nisi et hujus criminis insons.
 193 Est puer. Insontem servabit Juppiter aequus."
 194 Ex illo custos juvenem veneratur Iofeph,
 195 et pascit meliore cibo quam dura jubebant
 196 Ferifari mandata, et duri carceris omne
 197 tollit onus, ferrumque pedum, visitque frequenter,
 198 solaturque, et saepe in caelum educit apertum.
 199 Jamque quater binos Phoebe compleverat orbes,
 200 cum duo, quorum alter pincerna Pharaonis, alter
 201 pistor erat regis, prae suspitione veneni
 202 in Cerere inventi, conclusi carcere eodem
 203 cum puero Isacide fuerant. Hi tempore parvo
 204 post, utriusque una viderunt somnia nocte,
 205 somnia quae mox mane novo dum mutua versant,
 206 ignari, quid portendat monstrentve futurum,
 207 sollicitis stabant animis. Quod pulcher Iofeph
 208 conspiciens : "Quidnam, juvenes, tam pectore tristes
 209 vos hoc Sole novo video ? " "Nos somnia facta
 210 nocte hac sollicitos reddunt, quae exponere nemo est
 211 qui sciat hic", dixere ; quibus sic pulcher Iofeph :
 212 "Somnia vos narrate, Deus dignoscere forsan
 213 illa dabit." "Dicemus, ait pincerna, priorque
 214 ipse edam. Nam vitis erat pulcherrima ternis
 215 laeta propaginibus ; gemmas turgescere primum
 216 palmitibus, mox et flores exire videbam,
 217 post flores gravidis uvas pendere racemis,
 218 quos ego maturos manibus premere ipse videbar,
 219 vinaque distundens pateris spumantia plenis
 220 regi larga dabam, solito rex more bibebat."
 221 Cui puer interpretis : " Quidnam tua somnia monstrent,
 222 expediam. Vitam illa tuam pulcherrima vitis
 223 ostendit : gemmae, flores, uvaeque secutae,
 224 sunt fructus quos tu peperisti temporis hujus
 225 curriculo ; dabitur merces, et honoribus ipse
 226 restituere tuis, et pristina pocula regi
 227 consueto de more dabis ; terna illa propago
 228 tres luces, quibus haec veniant tibi prospera, monstrat.
 229 Tu vero, cum te carum gratumque Pharaon
 230 accipiet, nostri (si qua hujus gratia facti est)
 231 sis memor, immeritumque isto dic carcere claudi."
 232 Tum pistor simul ac vidit dicta omnia recte
 233 congruere, ipse etiam, dixit : "Mea somnia pandam.
 234 Nam capiti imposita ipse meo tria plena canistra
 235 spectabam, duo farinae inferiora, supremum
 236 omni opere plenum, omni illo pistoria quod scit
 237 ars facere, et nostrum ingenium ; sed cuncta volucres
 238 exesse, et secum latas deferre per auras."
 239 Cui bonus interpretis : "Divum est novisse futura :
 240 falli hominum est. Dicam, quidnam tamen augurer ipse
 241 his super. Illa, quibus vidisti plena canistra,
 242 sunt opera et vitae fructus ; duo prima, ubi simplex
 243 farina est, vitae monstrant duo tempora prima,
 244 in quibus et simplex vita et sincera peracta est ;
 245 summum opere infido plenum est, et fraude, dolisque

246 omnibus, ingenium quae, aut ars pistoris iniqui
 247 extudisse valet, quae sunt jam cognita regi.
 248 At merces horum meritorum et praemia, foedae
 249 sunt volucres, corvi immundi, milvique rapaces,
 250 vulturisque, caput qui effossaque lumina pascent
 251 in cruce suspenso ; tribus haec ventura diebus
 252 terna canistra notant, tamen haec me fallere possunt,
 253 si tu animo possis mutari ; nam et Deus ipse
 254 saepe solet mutare mala, et convertere fata."
 255 Talia tractabant juvenes. Et tertia jam lux
 256 orbi invecta aderat, cum custos carcere aperto
 257 pincernam insontem, noxa poenaque solutum
 258 declarat ; miserum regis decreta severi
 259 pistorem damnare cruci. De carcere uterque
 260 ducitur haud aequa sorte, et longe impare fato.
 261 Hic ad tigna, ille ad regem stipatus ovantum
 262 et laetus clamore virum, et clangore tubarum.
 263 Vertitur interea ter Solis cursus in alta
 264 solstitia, atque novum mundo portaverat annum ;
 265 forteque rex dulcem prona jam nocte quietem
 266 ducebat, Deus ex alto cum somnia in illum
 267 immisit, miranda adeo, ut cedente sopore
 268 attonitus rex magnum aliquid portendere visa
 269 crederet. Ergo omnes jubet e regione vocari
 270 Chaldaea, Aegyptoque, quibus cognoscere cursus
 271 metirique vias caeli, et momenta minuta
 272 astrorum, casusque hominum, et praenosse futura est
 273 cura audax, nec non magicis qui incumbere sacris
 274 consuevere, et qui ex adytis oracula divum
 275 consulere, et caesarum oviumque boumque per exta
 276 rimari secreta solent, qui noscere flammae,
 277 qui fluitantis aquae motus, qui jungere arenae
 278 fatalem numerum, et cognoscere fulminis iras,
 279 quique vias servare avium, et dignoscere cantus,
 280 denique, divini rerum quicumque vocantur.
 281 Quorum ingens numerus magni plena atria regis
 282 intrarant, alii longis capita alta tiaris
 283 induti, ast alii spectandi cornibus hirtis,
 284 auratis alii strophis ; longissima mento
 285 cunctis pendet barba, ipso stat pallor in ore.
 286 Quos simul ac ad se rex alta a sede vocavit,
 287 somnia visa docet primum, dein munera larga
 288 promittit, largosque illis proponit honores,
 289 somni qui interpretes suerit ; noctemque diemque
 290 responso tempus statuit. Sed noxque diesque
 291 venerat, et nemo apparet qui somnia regi
 292 enodare queat : nulli sua sidera, nulli
 293 ars magica, aut quaesita aris oracula prosunt ;
 294 non artes aliae, non barbae, altaeque tiarae.
 295 Ergo hinc irasci, et tristis maerere Pharaon,
 296 nec quemquam audire, ac solo in conclave latere.
 297 Hic regis pincerna, memor, quae in carcere Jofeph
 298 fecit, et ipsorum quam verus somnia vates
 299 exposuit, subito regem petit, atque ita fatur :
 300 "Peccavi, rex magne, tibi, quae in carcere vidi,
 301 non referens. Nam scis, ut mecum pistor iniquus

302 carcere damnatus fuerit sub turre magistri
 303 militiae, eunuchi. Forte illo carcere eodem
 304 Fetifari puer Hebraeus, puto crimine falso,
 305 missus erat. Duo nos (ita suasi) somnia quaedam
 306 nocte habita a nobis, juveni narramus. At ille
 307 divino quodam afflatu visa omnia nobis
 308 exponens : "Mihi te, dixit, lux tertia ab isto
 309 carcere deducet, multis et honoribus auctum
 310 restituet primo officio ; te, pistor inique,
 311 lux eadem in cruce constituet, te immunda volucrum
 312 agmina depascent, corvi, milvique rapaces,
 313 vulturiique, nisi ipse animum convertere possis
 314 in melius ; sic namque Deus mutatur et ipse."
 315 Omnia quae evenisse vides. Tua somnia certe
 316 hic puer exponet, magnum nam Numen in illo est.
 317 Auditis rex laetus ait : " Vade ocius ergo,
 318 duc puerum, et nostro jussu de carcere solve."
 319 Ille celer mandata facit, puerumque parumper
 320 ornat, detondetque comas, vestemque ministrat ;
 321 tum regi adducit timidum. Rex omnia lustrat
 322 in puero ; sibi cuncta placent, sic denique fatur :
 323 "Te, puer, hi dicunt exponere somnia ; numquid
 324 vera ferunt ? " Ast ille : " Deus, rex optime, solus
 325 somnia nosse potest, et si cui maximus ille
 326 hoc dederit. Potero ipse meo pro rege precari
 327 atque orare Deum ; forsitan dabit, omnia quando
 328 quae regum sunt, ipse solet curare deum Rex
 329 atque hominum." Dein paulum animoque et mente moratus :
 330 "Nunc, inquit, rex magne, mihi tua somnia pande."
 331 "Fluminis ad ripas Nili stare ipse videbar,
 332 rex ait, et septem ecce boves e flumine pulchrae
 333 exire, et late errantes per litora pasci
 334 florentes herbas, loton, medamque virentem,
 335 et suavam minyantha ; quibus pinguescere, quantum
 336 plena solet sacras quae ducitur hostia ad aras.
 337 Vix oculos verti, ecce aliae per litora septem
 338 deformes, aegraeque, quibus vix pellis adhaeret
 339 ossibus, apparere boves, quae carice summa
 340 vix pastae et dura paliuro et sentibus hirtis,
 341 corpora macra, suis nervis vix ducta, trahebant.
 342 Obstupui. Nam dira fames atque ardor edendi
 343 improbus exegit tantum has, ut pinguia septem
 344 corpora prima boum congressae tota vorarent.
 345 Mox iterum dulcis me habuit sopor alter, et ecce
 346 rursus septem uno spicae consurgere culmo,
 347 pulchraeque gravaeque et onustae pondere multo.
 348 Mox septem prodire aliae tenuesque et inanes
 349 exili e stipula, scabraeque urigine tostae,
 350 quae succum et decus omne aliarum absumere visae
 351 sunt mihi. Miratus, postquam sopor ille recessit,
 352 somnia proposui multis ; sed dicere nemo
 353 scit sensum et portenta horum ; te si manet ista
 354 gloria, si te unum e tantis haec somnia poscunt,
 355 toto animo laetare, puer : te fama sequetur
 356 perpetua, et tantis a me ditabere donis,
 357 ut te non videat majorem Aegyptia tellus.

358 Cui juvenis : " Rex magne, Deus te diligit ; ipse est
 359 somnia qui immisit, nec quae illa intelligat, esse ars
 360 ulla potest quae auctore Deo non utitur ; unde
 361 nec vates potuere tui, quibus omnibus est ars
 362 absque Deo. Primum septem felicibus annis
 363 largius undantem solito, majoreque Nilum
 364 flumine rumpentem ripas, secumque trahentem
 365 felicem limum, fecundaeque aequora arenae
 366 fortunata nimis tellus Aegyptia cernet.
 367 His annis tantum messis, tantum uberis illa
 368 colliget, ut non sufficiant solita horrea messi.
 369 Ubertatem istam pingues nimiumque nitentes
 370 monstravere boves septem, quae e flumine Nili
 371 exivere, herbas pingues per litora pastae.
 372 Hanc etiam et spicae septem, quas pondere onustas
 373 laetasque plenasque uno consurgere culmo
 374 vidisti, pariter monstrant : nam somnia visa
 375 non duo re, sed idem ostendunt. Nunc porrigere mentem,
 376 optime rex ; nam septem annos, qui deinde sequentur
 377 infelix steriles durosque Aegyptus habebit.
 378 Ipse intra ripas demisso flumine Nilus
 379 curret iners, supraque caput limumque feracem
 380 non tollet ; sicca arebunt arva omnia, sicca
 381 solstitia, et nulli descendent montibus amnes
 382 consueti pluviarum amnes sub sidere Cancri ;
 383 Aethiopum populis nec hiems aestiva redibit.
 384 Agricola infelix nullo versabit aratro
 385 arva, nec arenti mandabit semina terrae ;
 386 sed miseros edet annona cogente juvencos.
 387 Haec septem docuere boves per litora siccae,
 388 deformes, macraeque, quibus vix ossibus haerens
 389 pellis erat. Haec septem illae rubigine tostae,
 390 squallentesque situ spicae, et sine pondere turpes
 391 ostendunt : duplici exemplo te commonet ipse,
 392 qui novit ventura, Deus ; quo tu quoque solers
 393 commoveare magis, damnoque occurrere possis.
 394 Quod facere ut valeas, si me fortasse requiris,
 395 sic habeas. Majora para primum horrea, et omne
 396 quod superat segetum, his septem felicibus annis,
 397 coge illic, servaque vigil ; dein multa talenta
 398 aurique, argentique in fruges undique emendas
 399 impende, annorum quantum penuria septem
 400 exposcet ventura fami, campisque serendis."
 401 Talia narrabat juvenis ; quae singula mente
 402 rex volvit tacita. Tandem et sic voce profatur :
 403 "Hoc certe Deus in puero ; nec talia dici
 404 absque Deo potuere, nec illi Aegyptia tellus,
 405 aut Chaldaeae videt similem." Tum amplectitur illum
 406 laetitia illacrimans : " Post me tota ista secundum
 407 te aspiciet regio, Servatoremque vocabit."
 408 Sic ait, et chlamydem gemmis ostroque nitentem
 409 ferre dat, atque auri torquem circumdare collo.
 410 Mos erat, ut gemma caelata, insignis et auro
 411 annulus, antiquo regum de more vocatus
 412 regius, a nullo, nisi rege Pharaone, posset
 413 gestari, aut si quis foret ipso ab rege secundus :

414 hunc sibi rex digito detractum imponit Ioseph,
 415 quo populus post regem, illum sciat esse secundum.
 416 Praeterea, qua se sollemnibus ipse diebus
 417 invectum mula populis urbique solebat
 418 ceu quemdam monstrare Deum , sic mandat et ipsum
 419 urbe vehi, mulaque eadem procedere Joseph,
 420 praeclamante tuba, Regi inclinate secundo
 421 quisque caput, sanctoque novos conspergite flores
 422 Servatori hominum, solus qui somnia regis
 423 exposuit, qui plena Deo praecordia gestat.
 424 Talibus ornatus donis, et honoribus auctus
 425 Isacides juvenis, cuncto acclamante senatu,
 426 praeficitur toti Aegypto. Qui sedulus omni
 427 ingenio curaque in primis horrea ubique
 428 magna parat, mox frugum ingentibus undique acervis
 429 collectis, partim terra Memphitide natis,
 430 partim emptis aliunde implet, stipatque, nec ullum
 431 dat rebus spatium ; regionem lustrat, equorum
 432 imminuit numerum, atque hominum : Dii cuncta secundant.
 433 Urbs erat Helipolis, Solis de nomine dicta,
 434 cujus rex, idem et templi Phoebique sacerdos
 435 supremus natam formae et virtutis habebat
 436 insignis, quam saepe deus consultus Apollo
 437 dixerat haud ulli indigenae thalamo esse locandam ;
 438 conjugium externum fato majore parari,
 439 quo genus, et clari tollantur in astra nepotes.
 440 Ergo istaec juvenem monstrare oracula Ioseph
 441 censet et antistes templi, et rex ipse Pharaon.
 442 Quocirca, cum jam septem felicibus annis
 443 Aegypto in tota ubertas, atque omnia ubique
 444 laeta forent, placuit regi dignis hymenaeis
 445 et thalamo Isacidem juvenem sociare jugali ;
 446 laetitiamque augere, diesque inducere festos.
 447 Ergo haec per ludos et per convivia laeta
 448 dum fiunt, septem fecundi messibus anni
 449 jam finem, ubertasque omnis, jam copia habebat.
 450 Jamque pererratis Geminis per sidera Cancri
 451 Sol altos agitabat equos, Aegyptia cum gens
 452 miratur, Nili nulla incrementa videri,
 453 sed purum et nulla permistum flumen arena
 454 ipsum inter ripas tristi procedere cursu.
 455 Jam tellus fecunda prius, nunc aret, hiatque
 456 usta siti, nec spes Cereris promittitur ulla.
 457 Semina quin etiam siqua immittuntur in arvis,
 458 aut nullos edunt fetus, aut protinus omne
 459 enatum foedae vitio rubiginis aret,
 460 aut abit in lolium infelix, fluidumve papaver.
 461 Vivitur ex annis lapsis, retroque coacto
 462 fenore, quod primo sterili vix sufficit anno.
 463 Verum ubi dira fames homines se vertere ad herbas,
 464 et pecus immeritum, atque immunda animalia adegit,
 465 Regem urbes et rura adeunt, subsidia poscunt.
 466 Rex ad praesectum cunctos dimittit Ioseph,
 467 Servatorem hominum. Populis hinc horrea aperta,
 468 et justum indictum pretium ; gaza undique et omnes
 469 congestae portantur opes ; aeraria regis

470 complentur, nec adhuc quartus se verterat annus
 471 quid facerent miserae gentes ? Sola arva supersunt,
 472 quae vendant, si emptorem habeant ; nam solus Ioseph
 473 esse potest pro rege emptor. Ergo ille rogatur,
 474 arva emat, et miseris det opem, nec pacta recuset.
 475 Reddituum cujusque agri quintam dare regi
 476 promittunt : sic pacta ineunt, sic foedera firmant.
 477 Interea, externas quoniam penuria terras
 478 haec eadem affligit, populos it fama per omnes,
 479 Aegyptum sat frumenti, quod vendat, habere.
 480 Ergo et Sichenus natos affatur Iacob :
 481 "Cur non Aegyptum, nati, cur regna beata
 482 non petitis ? Cur non nobis alimenta paratis ?
 483 Num perimat nos ista fames ? " Mandata capessunt
 484 natorum deni : fratrum natu ultimus astat.
 485 Ut vero Aegyptum petiere, et Osirida terram,
 486 frumentis praefectum adeunt, et supplice cultu
 487 aere dato frumenta rogant. Cognovit Ioseph
 488 germanos, statuente Deo, non cognitus illis.
 489 Praeteritique memor, quamvis injuria multum
 490 facta potest, tamen et patris, fratrisque misertus
 491 Benjamin, his etiam parcat, tum fatur ad illos :
 492 "Unde, et quinam hominum ad nostras acceditis oras ? "
 493 Illi autem : " E terra Canaam, de sanguine Jacob
 494 venimus huc cogente fame, quae plurima perdit
 495 Samariam. Domus est nobis plenissima, primus
 496 est pater, undeni nati, parvique nepotes,
 497 pastorumque manus, vernarum est plurima turma.
 498 Venimus ergo ad te, nobis alimenta rogantes,
 499 ne pereat gens tanta : tibi justa aera dabuntur.
 500 Nec nos immemores erimus. Pater optimus urbem
 501 ipse regit Sichen, pastor cui millia multa
 502 sunt pecudum : quovis pretio da vivere tantum."
 503 His verbis quamquam frater commotus, et aegre
 504 abstinuit lacrimis, ficto tamen omnia vultu
 505 dissimulans : "Quid verba mihi datis ? inquit ; an ipse
 506 eludar ? Nisi me os fallit vultusque loquentum,
 507 exploratores puto. Cur mandata paterna
 508 non geritis ? Cur nec frater huc venit et alter ? "
 509 Ast illi : " Minime. Tales ne rere, precamur.
 510 Per patrem, patrisque Deum juramus, adire
 511 nos jussit nos dira fames ; natu ultimus unus
 512 cum patre Benjamin adolescens restitit, et spes
 513 solamenque senis ; nos, qui sufferre laborem
 514 possumus, atque moras longarum auferre viarum ;
 515 venimus orantes vitam, mandata putantes
 516 nulla opus esse istuc ferri : miserere precantum,
 517 et miserere patris, pueri miserere relictis,
 518 parvorumque (potest pietas si in te ulla) nepotum."
 519 Hic lacrimas vix continuit, convertit et ora,
 520 toto animo et vultu multum commotus Ioseph.
 521 Inde ait : "Est mihi firma, viri, sententia menti,
 522 frater ut huc alius veniat. Vestrum hic erit unus
 523 obses : vos alii ad patrem frumenta seretis
 524 interea. Haud aliter (per regem et Numina juro)
 525 ulla potest vobis cedendi hinc esse potestas,

526 neu faciem spectare meam, aut audire loquentem.
 527 Consulite, et ternis dentur responsa diebus."
 528 Sic ait, et custode dato victuque remittit.
 529 Illi, inter sese postquam diversa locuti
 530 viderunt praefecti animum, praestare putarunt
 531 ferri multa domum frumenta, loco obsidis unum
 532 dimitti, properare alios, iterumque reverti
 533 emptum alias fruges, alium et conducere fratrem.
 534 Ergo nominibus scriptis fors ducitur, obses
 535 extrahitur Simeon. Et jam lux tertia mundo
 536 clara aderat, responsa petit praefectus, at ipsi
 537 enarrant decreta. Igitur frumenta parari
 538 imperat accepto pretio : clam deinde ministros
 539 admonet, ut summis saccis aera omnia ponant,
 540 quod fuerit cujusque datum : custodibus obses
 541 traditur ; at fratres oneratis tergora asellis
 542 Aegyptum, et multo fratrem maerore relinquunt,
 543 Samariamque petunt. Quo postquam denique ventum est,
 544 et genitor numero natorum unum abfore vidit,
 545 clamat : "Ubi Simeon meus est ? Cur cernere natum
 546 non datur ? Estne aeger ? " " Minime, pater, inquit Iudas,
 547 sed valet : Aegypti est obses tellure relictus,
 548 dum rursus redeamus, et hinc ducamus et istum
 549 Benjamin. Nam qui frumentum vendidit, ut nos
 550 vidit vir magnus, et ab ipso rege secundus,
 551 quaesivit multa a nobis, numquid pater esset,
 552 an frater nobis alius ; quae cum omnia recte
 553 dixemus. "Vos has certe venistis ad oras
 554 exploratores, inquit. Mandata paterna
 555 cur non huc geritis ? Cur non alium quoque fratrem
 556 huc duxistis ? " Ad haec respondimus omnia. Tandem
 557 summa fuit, frumenta dari, nos deinde reverti,
 558 adduci puerum, interea obses detur, et unus
 559 e nobis maneat : "Per regem et Numina caeli
 560 juro, inquit, nec vos aliter frumenta feretis
 561 posthac, nec me audire umquam, aut spectare licebit."
 562 At pater, haec postquam audivit : "Proh Summe deum Rex,
 563 estne adeo infelix alius pater ? Occidit unus
 564 natorum, est obses alius, subducitur alter
 565 cum reliquis, simul ut cuncti moriantur, et ipse
 566 exspectem ferat haec nostras crudelis ad aures
 567 nuntius : o prius hanc miseram, Dii, demite vitam."
 568 Talia fundebat lacrimans. Circum undique nati
 569 solantur, tam adversa bonos non Numina habere.
 570 Mox, ubi depositis solverunt vincula saccis,
 571 in summis aes omne datum pretiumque repostum
 572 inveniunt. Stupere omnes ; sed tristis Iacob :
 573 "Hoc deerat, nati, hoc, inquit, quod funditus omnem
 574 spem raperet. Nam si vobis Aegyptia ad arva
 575 sit reditus, qui vos primum vir maximus ille
 576 exploratores dixit, nunc nomina furum
 577 imponet, causam inquirens qua perdere possit.
 578 Nempe ego Benjamin puerum, spem patris, et unum
 579 solamen, non huic tradam fidamque periculo.
 580 Vos alii, si fata urgent, Divumque voluntas,
 581 ite rei fidei promissae ; ego, quicquid apud me est

582 aurique argentique dabo, quo vos redimatis
 583 et fratrem, et, si fors aderit, frumenta feratis."
 584 Quem contra illacrimans juvenis sic fatur Iudas :
 585 "Care pater, nos primum audi, dein consule nobis,
 586 atque tibi. Nam quo pacto continget adire
 587 illum hominem, qui juravit per regia sceptrā,
 588 per Superos, nisi Benjamin duxerimus ipsum,
 589 ille quidem nec nos, nec, qui est in carcere, fratrem
 590 dimittet, faciemve ejus spectare licebit ?
 591 Verum, ut de nobis sint dura et tristia quaeque,
 592 vos miseri quonam pacto vivetis, et unde
 593 tanta domus ?" "Capiti, quaeso, pater optime, tandem
 594 fide meo : puer iste omnes servabit, et ipsum
 595 te patrem. Mihi praeterea duo pignora cara
 596 sunt nati, tu illos (concedo) interfice, si quid
 597 adversi puero eveniat ; depone timorem,
 598 atque omnem defende domum. Quod pondera saccis
 599 sint aeris posita in nostris, jussisse ministris
 600 id dominum certum est, incertum, fraude dolove,
 601 an pietate magis. Nos certe audivimus illum
 602 insignem virtute omni, nos vidimus illum
 603 nobiscum flevisse famem atque incommoda nostra,
 604 dum teque, et parvum fratrem, parvosque nepotes
 605 commemoramus. Age, o genitor, ne tempora differ,
 606 neu plures innecte moras." Et talia dicens
 607 adjecit lacrimas. Victus pater : "Ibitis ergo",
 608 tandem ait, " et puerum, et regionis dona feretis,
 609 stactenque, et lacrimas terebinthi, et roscida mella,
 610 et gummi, et liquidam styracem, et amygdala amara.
 611 Insuper et duplex pretium portabitis, et quod
 612 inventam fuit in saccis, et quod data poscent
 613 frumenta. Interea faciemus sacra parentum
 614 nostrorum nostrique Deo, quo cuncta secundus
 615 dirigat, et servos caelo prospectet ab alto."
 616 Postera Phoebeos currus Aurora vehebat,
 617 cum pater et nati sacris de more peractis
 618 cuncta viae opportuna parant, et munera, et ipsum
 619 Benjamin : quem jam genitor complexus euntem,
 620 et lacrimans : " I, care puer, felicibus, inquit,
 621 auspiciis ; si te rediturum fata reservant,
 622 vitam oro." Lacrimae vetuerunt dicere plura.
 623 Tum simul et reliquos natos complectitur omnes,
 624 commendatque Deo. Ast illi bona verba precati,
 625 durum iter et longum capiunt, camposque relinquunt
 626 Samariae, Solymenque sacram ; jam consita Idumes
 627 praetereunt palmeta, Gerar, et Tartara vasta
 628 Syrbotis, tandemque vident Aegyptia regna,
 629 optatamque petunt Memphim. Quos laetus Ioseph
 630 suscipit, atque una fratrem de carcere solvit.
 631 Ut vero admissis coram data copia fandi,
 632 sic Ruben : "Hinc postquam discessimus, optime princeps,
 633 venimus ad genitorem, illi tua maxima jussa
 634 narraamus, fratrem duci te velle minorem
 635 Benjamin huc istum." Tum saccis ordine apertis,
 636 res mira ! In summis pretium atque aes omne quod ante
 637 exhibitum fuerat, se offert : quis miserit, et cur,

638 ignotum est, Deus est testis. Verum, ut pater istaec
639 audivit, viditque, imo suspiria corde
640 "Traxit, et heu, nati, dixit, male numen amicum
641 nos aliquod nunc insequitur : fortuna recessit
642 illa bona. E bis sex natis amisimus unum :
643 in vinclis alius longinquis exsulat oris ;
644 nunc spes et miserae solamen dulce senectae,
645 Benjamin abduci petitur ; vos rursus abitis,
646 nescio quo, et vereor, furum ne nomine eatis,
647 omnes ut tandem fato pereatis ab uno.
648 Nos contra miserum solari. Fide parentum,
649 nostrum et fide Deo, genitor : justissimus ille,
650 ille vir est, regio quem tota Aegyptia dicit
651 Servatorem hominum, sanctumque piūque fatetur,
652 et colit ; hinc nihil adversum durumque timendum est
653 his victus cessit tandem. Vos ibitis ergo,
654 et ducetis, ait, puerum, atque haec parva feretis
655 munera, quae regio fert haec, stacten, et terebinthi
656 resinam, et liquidam styracem, et amygdala amara,
657 mellaque : dein duplex pretium portabitis, et quod
658 impositum fuerat saccis, et quod data poscent
659 frumenta ; et demum justo natumque patremque
660 commendate illi, pueri miserescat et hujus,
661 atque senis natos nimium miserescat amantis."
662 Talia dictabat juvenis, cum lumina princeps
663 vix lacrimis cohibens tali est sic ore locutus :
664 "Este bonis animis, juvenes, ego munera grata
665 accipio regionis, et hunc, qui adductus ab omni
666 suspitione puer vos, omni a fraude piabit.
667 Ite, et fessa via, foeda et sudore lavate
668 membra, viri ; mox luce bona discumbite mecum."
669 Haec princeps. Famulorum alii in conclave lavacrum,
670 vasa alii mensasque parant. Haec inter Ioseph
671 multa super regno et populis disponit alendis.
672 Dein redit ad fratres, magnamque educit in aulam,
673 regales ubi monstrat opes, vasa aurea signis
674 caelata, argentumque abacis, stratosque tapetas,
675 necnon parietibus circum pendentia longis
676 aulaeae, intextis auro et bombyce figuris,
677 quas dicas spirare. Illic divina secutus
678 jussa Abraham, puerum in silvas ducebat Isaac
679 mactandum : puer ilignis onerabat asellum
680 fascibus, ipse pyram genitor vittasque parabat.
681 Ille idem dextram vicina in parte levabat,
682 crudelemque ensem : demissus lumina Isaac
683 et flexis genibus ferituro colla parenti
684 praebebat ; caeli demissus ab axe vetabat
685 nuntius, et dextram sublatam ensemque tenebat.
686 Parte alia fratrem fugiens tendebat Iacob
687 in patris antiquas sedes, cognataque regna,
688 Euphratem Tigrimque inter ; patruelibus inde
689 virginibus hauribat aquas ; tum pastor ad undas
690 Euphratis dum pascit oves per litora Laban,
691 Rachelem vocat, et dulces decantat amores.
692 Talia dum laeti spectant Israele nati,
693 spemque aliquam sibi promittunt, tum magnus Ioseph :

694 "Jam genio libemus, ait ; date flumina palmis,
695 vos famuli." Tum sede altus discumbit eburna.
.....

(Morte preventus, hoc item, quod sero inceperat, absolvere non potuit.)